

uideret. quomodo saluator separationis brachium comedat. Audi quid dicit ad  
iudeos. Si feci inquit in uobis opera quae nullus alius fecit. pro quo horum uultus  
me occidere. Uides quomodo ipse uere manducat brachium separationis qui ope-  
rationem segregata & tam sublimia fecit. quam nullus alius fecit. sed iam uideamus  
aliqua & iam ex his quae de mundis atque immundis uel de cibis. uel de animalibus. lecta  
sunt. & sicut in explanatione poculi de umbra ascendimus ad ueritatem spiritualis  
poculi. ita etiam de cibis. qui per umbram dicuntur. Ascendamus ad eos qui per spm  
ueri sunt cibi. sed adhuc inuestiganda scripturae diuinae testimonis indigemus  
ne qui putent. Anant enim homines exacuerunt linguas suas ut gladium. ne qui  
quam putet. quod ego uim faciam scripturis diuinis. & ex quae de animalibus. quadru-  
pedibus. uel etiam a uibus aut pisibus mundis siue immundis in lege feruntur ad ho-  
mines traham. & de hominibus haec dicta esse confingam. fortasse enim dicit quis  
auditorum. cur uim facis scripturae animalia dicuntur animalia intellegatur.  
ne ergo aliquis haec de prauis humano creatae ingenio. apostolica in his auctoritas  
uocanda est. Audi ergo primo omnium paulus de his qualiter dicit. Omnes enim inquit  
per mare transierunt & omnes in moysen baptizati sunt in nube & in mari. & omnes  
eandem spiritalem escam manducauerunt. & omnes eundem potum spiritalem biberunt.  
Bibebant enim de spiritali sequenti petra. petra autem erat xps. paulus haec dicit.  
hebraeus ex hebrais. secundum legem phariseos edoctus. secundum pedes gamalielis.  
qui utique numquam auderet spiritalem escam & spiritalem potum appellare. nisi hunc  
esset sensum legis. licet per traditam sibi uerissimam doctrinae scientiam didicisset.  
Unde & illud addit. tamquam confidens & certus de ciborum ratione mundorum  
uel immundorum quod non secundum litteram sed spiritaliter obseruandas sint.  
& dicit. ne quis ergo uos iudicet in cibo aut in potu. aut in parte diei festi. aut in die  
domini. aut sabbato quae sunt umbra futurorum. Uides ergo quomodo haec omnia  
quae de cibis uel potu loquitur moyses. paulus qui melius ista didicerat quam hi  
qui nunc lactant sed doctores. omnia haec umbram dicit esse futurorum. & ideo  
sicut diximus. ab hac umbra ad ueritatem debemus ascendere christiani & ad christi-  
anos sermo est. quibus apostolorum ditorum esse debet auctoritas. Si quis uero  
adrogantia tumidus apostolica dicta contempnit. aut spernit. ipse uiderit. mihi